

adulterumque dimisit.] *lex. 2. C. eod.* [Crimen lenocinii contrahunt, qui deprehensam in adulterio uxorem in matrimonio retinuerunt.]
 373. Hos textus vel correctos esse perauth. C. eod. ex Nou. 117. c. 8. delumptam, ut vult Bart. & Carpz. vel certe hodie non ligant, quando etiam (etsi contra leges antiquas) hodiernis moribus sustinetur transactio super adulterio, ut etiam notat Julius Clarus §. fin. q. 18. n. 11. in fine.

374. **Queritur IV.** An, quod dictum est de prostituta uxorem aut filias, sit extendendum quoad penam ultimi supplicii etiam ad illos lenones, qui prostituunt personas vel sanguine sibi ex latere conjunctas, ut frater sororem, vel suæ curæ ac tutelæ commissas, ut matris puellam, tutor pupillam. Ratio dubitandi est, quia tales parentum loco habentur. Et ideo affirmativam tenent Farinacius, Tolosanus, Menochius, Berlichius, alij. Verum, hujusmodi non esse puniendos penâ capitis, sed mitius, nempe prout dicitur de prostituentibus personas alias extraneas, (cum aliqua tamen exasperatione iudicis arbitrio determinanda, ut ego puto) non immerito asserit Carpovius, quandoquidem Jura expressè loquantur de parentibus & marito, in penalibus autem non debet fieri extensio legis ad personas, quæ non nisi improprie parentes censentur.

375. **Queritur V.** An locus sit penæ Ordinariæ, quando lucrum nullum est secutum quod sperabatur. Scabini in facti contingentiâ judicantur, sufficere penam fustigationis, cum perpetua relegatione. Sed illi se fundabant in verbis Constitutionis Electoralis Saxonice. Quodsi considerem verba Ordinationis Criminalis Carolinæ, videtur omnino affirmandum. Expressè enim requirit unicè ut lenocinium fiat amore lucrî. Non autem requirit actualem fruitionem lucrî. Sicut in simili dictum est de Latrocinio, sufficere spem spoliij, etiam si nullum secutum sit.

376. **Dicendum II.** Qui personas extraneas prostituunt, aut cum lenocinio sollicitant, quamvis, in spectro Jure civili, etiam penâ ultimi supplicii essent coercendi, passim tamen mitius puniuntur, pro diversâ locorum consuetudine. Et quidem secundum Ordinationem Carolinam art. 123. pro delicti qualitate arbitrarie, puta exilio, numellis, aurium mutilatione, fustigatione. ibi. [Tales malitiosi lenones & lenæ, item illi qui scienter, malitiosè & ex proposito domos suas ad hoc locant vel indulgent, pro conditione delicti, & iudicio Jurisperitorum, sive relegatione, sive numellis, sive aurium abscissione, sive fustigatione, aut alio modo puniantur.] Jure Bavatico *Or. Pol. lib. 5. tit. 9. a. 15.* tales puniuntur impositione lapidis famosi,

vel simili penâ famosâ, cum relegatione in perpetuum.

377. **Dubitatur I.** An hac Ordinatione comprehendantur etiam illi, qui meretricibus quælibet causâ exponunt in Lupanariis. Ratio dubitandi est, quia Ordinatio solum loquitur de seducuntibus innocentes puellas, & virgines. Nihilominus, non est cogitandum, quod Imperator voluerit alios lenones esse impunitos, quandoquidem diversa genera penarum inæqualium enumerat. Caterum, ubi lupanaria permittuntur, forte non nisi pecuniario tributo puniuntur, de quo mihi non constat.

378. **Dubitatur II.** An à penâ ordinaria, ultimo scilicet supplicio, excusare possit necessitas domestica, quâ quis ad alendam familiam impellitur ad lenocinium exercendum. Affirmat Menochius *lib. 2. arb. cent. 6. casu 134. n. 14. & seqq.* Farinacius *q. 144.* Nec respicâ (quamvis verbis) dissentire videtur Carpovius *n. 71.* dum refert præjudicium Scabinorum, qui talem ad fustigationem & relegationem condemnantur.

Verum, contrarium dicendum est cum Berlichio I. per legem 43. §. 5. ff. de *Kim Nupt.* ubi Ulpianus de Meretricibus & Lenonibus agens dicit. *Non est ignoscendum ei, quæ obtentu paupertatis turpissimam vitam agit.* Neque potest subsistere effugium Menochii, distinguens inter *paupertatem & necessitatem.* Nam, ut videbimus, textus quem ille pro se affert, etiam loquitur de Paupertate, adeoque Jura in hoc puncto non distinguunt inter præsentiam paupertatis & necessitatem.

Probatur II. Quia quod non licet domino in ancillis ob necessitatem, neque debet licere aliis, atqui domino non ignoscitur si prostituat ancillas ex præsentia necessitate, ut patet ex legibus sup. adductis, ergo &c. Denique, hac ratione etiam Latrocinia excusari possent à penâ ordinaria, quod nemo dixerit. Et notandum est, quod vix casus excogitari possit, quo non superfit aliud honestum medium sublevandi necessitatem, quam turpissimum lenocinium. præsertim cum ex Theologorum doctrina necessitas excuset à crimine furti, quia bona aliorum aequaliter sunt communia in casu necessitatis, ut declaravi *to. 1. de Jure privat.*

Obijciunt textum in lege 2. C. de *patribus qui filios distraxerunt.* Verum, ille textus loquitur de venditione honesta liberorum, & quidem liberorum vix natorum: quomodo ergo inde lenones excusari possunt? sic habet. [Si quis propter nimiam paupertatem egestatemque, victis causâ filium filiamque sanguinolentos vendiderit, venditione in hoc solummodo casu valeat. &c.]

Limitum

Limitum translatio,

SUMMARIVM.

Quid sit per limites intelligatur. 379.

Quid de translatione limitum statuat Ord. Carolina. eod.

Quomodo puniendus, qui lite de limitum differentis pendente, terminos transponit. eod.

379. **P**ER limites intelliguntur, illa signacula, quibus agri vicinorum ab invicem dimittuntur, de quibus est titulus Digestorum: *de Termino modo.* De hoc crimine exitit in Ord. Crim. Carol. articulus 154. ubi pro qualitate & conditione rerum & personarum puniendum arbitrio Judicis relinquatur. Nam & Jure communi, tit. cit. diversis modis hoc delictum committendi diversæ penæ constitutæ sunt, ad quas Juxta attendere, & se conformare potest. Lex. 2. sic habet ibi. [de penâ tamen, modus ex conditione personæ, & mente facientis magis statui potest. Nam si splendidiores personæ sunt, quoque convineantur, non dubie occupandorum alienorum finium causâ id admiserunt, & possunt in tempus, ut cuiusque patietur ætas, relegari: id est, si juvenior, in longius, si senior, recibus. Si verò alii negotium gesserunt, & ministerio functi sunt, calligati, & ad opus biennio dari. Quodsi per ignorantiam, aut fortuito lapides furati sunt (id est ignorantes, esse terminos) sufficere eos verbis decideret.] Deinde lex 3. sic habet. [Legge agraria, quam Gaius Cæsar tulit, adversus eos qui terminos statuos extra suum gradum sine veritate moveant dolo malo, pecuniaria penâ statuta est, nam in terminos singulos, quos eiecerint, locove moverint, quinquaginta aureos in publico dari jubet, & ejus actionem, petitionem ei qui voluit, esse jubet. Aliâ quoque lege agraria, quam Divus Nerva tulit, cavetur, ut si servus quem veritate insciente domino, dolo malo fecerit, et capitale esse, nisi dominus dominave multa sufferre maluerit.] Glossa notat, eum, qui limites transponit, ut suos agros & pirata dilatat, præter furtum committere falsum, de quo supra actum] & ideo variè puniri, ut in textu habetur. Jure Bavatico punitur arbitrio Judicis Vicecomini.

Queritur, quomodo sit puniendus, qui lite, de limitum differentis pendente, terminos transponit. Respondet cum Damboudero Gühlius, quod cum expensarum retributione causâ cadat, & damnandas sit ad restitutionem tantidem, quantum alteri per transpositionem eri-

pere conabatur, tantum scilicet de agro suo illi transcribendo.

Magia, seu Maleficium, Veneficium, aut Sortilegium.

SUMMARIVM.

Quare Magi vocari soleant Venefici. 380.

Maleficium specificè sumptum est crimen Publicum. 381.

In quo sensu numeretur inter delicta extraordinaria. eod.

Que solemnitas soleat intervenire, quando Magi damoni hominibus præstant. 382.

Que forma observetur in privata seu tacita conventionione. 383.

Ad quam Jurisdictionem, Ecclesiasticam an Secularem spectet hoc delictum. 384.

Cuius loci Index sit Ordinarius. 385.

Quantam indicta requirantur, ut per inquisitionem procedi possit. 386.

An ad inquirendum in certam personam procedere debeat inquisitio, remissive. 387.

Argumenta decem opinionis negantis fidem adhibendam esse denunciacionibus præcisi. 388. & seqq.

Argumenta vicedecim opinionis affirmantis. 397. & seqq.

Malefici de se confessi, etiam de locis rogandi sunt, rogati jure nature obligantur ad indicandos nocentes, de quorum emendatione nulla spes est. 401.

Denunciaciones factæ à dispoisitis ad penitentiam, & à confessorio absolutis, ac monitis de periculo salutis majorem fidem merentur. 402.

Denunciatio præsentis, non vero de mancipatione facta diabolo, non multum fidei meretur. 405.

Nisi de singularibus actibus inter choreas & conviviva exerceri solent denunciatio fiat, non sufficit ad toruram, & infirma est. 406.

Imò de qualibuscunque actibus facta denunciatio non facit moralem certitudinem. 407.

Neque tunc integram fidem meretur, si denunciator aliis criminibus est obnoxius. 408.

Variatio quoque vitiat maleficiorum inculpationem. 409.

Quid sit tribuendum vocari noni factæ post sententiam mortis sibi dictam, & tempore sacramentalis confessionis, vel Eucharistie sumenda. 410.

Contra veras denunciacionum fidem admittit. 411.

Inimicitia graviter infirmat. 412.

Bona fama contra denunciacionem non parum patrocinatur. 413.

Bone

Bona sanæ minus deträhere possunt denuntiationes mulierum. 414.
 Experiencia constat, plurimum denuntiantium conspirationem esse fallacem. eod.
 An etas minorum eandem fidem mereatur, quam maiorum. 415.
 In singulis plurimum reorum denuntiationibus singule circumstantie d. l. gener examinauda sunt. 416.
 Denuntiationes communiter patiuntur aliquem defectum, nisi accedant alia adminicula. eod.
 Ad torturam sufficiens ea, qua sufficit in aliis delictis. eod.
 Referuntur quaedam iudicia ex Ord. Carolina, præbentia legitimam indicium sufficiens ad torturam. 417.
 Sicut professio artis Magica docenda, ita & docta est per iudicium. 418.
 Minus magice cum effectu secuto, sunt indicium sufficiens ad Inquisitionem. 419.
 An idem dicendum, de iactante, se posse nocere. 420.
 Quod consensus de familiaritate cum maleficis. 421.
 Exemplum iudiciorum ex gestibus, verbis rebus suspectis. 422.
 An præter hæc Carolina iudicia etiam alia sint agnoscenda. 423. & seq.
 Quomodo Index gerere se debeat in captiva, habitis suspicientibus indicis. 425. & seq.
 Quanam Index in torquendis maleficis specialia observare debeat. 427.
 Quare confessio malefici sufficit ad condemnandum. 428.
 An ex quibusdam factis notoriis, negante licet reo crimen, possit haberi probatio ad condemnandum. 429.
 Vera sententia negativa. 430.
 Quisquis literis à se scriptis fateatur se magicos effectus procreasse. 431.
 Quid & quantum probatio per testes possit contra maleficos. 432.
 Quanam sit pena maleficorum confessorum vel convictorum. 433.
 Quid æquum cum impuberibus exercita magie reus, & ab aliis seductis. 434.
 Qua ratione procedendum cum Clericis, Monachis, & Monialibus maleficis. 435.
 An hodie bona maleficorum sint confiscanda. 436.
 Quis nullis ascendentibus vel descendentibus exstantibus, existant laterales. 437.
 Superstitiosi formales non sunt Magi, eorum pena est arbitraria. eod.

380. **V**oces tituli ferè hodie pro synonymis habentur, nisi quod Veneficium specialius accipitur pro delicto quo quis alium veneno occidit, & ideo etiam de illo infra specialius agendum. Solent autem Malefici seu Magi & Sagar etiam Venefici vocari, vel quia solent

aperte malo veneno nocere, vel manus unguento Sagario illitas, & quasi palpando summis vestibus admovere, qui contactus illis noxius est, quibus nocere volunt, non semper aliis, & ideo potest illud unguentum, postquam in vincula coniecti sunt, innoxie manibus arretractari, ac proinde potius sunt quoddam Symbolum, quam virtus causativa: solo demone effectum occulte operante, ut tradit Nicol. Remig. demonolatri. l. 2. c. 6. & seqq. & lib. 3. c. 3. & 4. V. Vaizenegg. c. 1. n. 22.

391. Maleficium ergo, prout specialiter Sagis & Magis, ob inigne nocendi studium accommodatur, est Crimen Publicum, descendens ex legibus Publicorum Iudiciorum, rotulo Codicis de Malef. & l. 1. ff. de publ. Jud. potestque à quovis de populo accusari.

Est etiam Crimen Ordinarium & Nominatum, quia certum nomen habet, penamque Jure definitam. Numeratur tamen inter excepta & extraordinaria crimina, in hoc sensu, quod in illius processu multa specialia & à communi Processu recedentia observantur, & ob hanc causam necesse erit, hoc loco etiam ex professo de ejus Processu agere, ne in sequenti tractatu, de Processu generaliter in criminalibus observando, confusio fiat. Enormitas hujus delicti maxime ex eo relucet, quod plerumque gravissima crimina sibi conjuncta habeat, Apostasiam, Idolatriam, hæresin, blasphemias horrendas, abusum Sacramentorum, parricidia, infanticidia, peccatum contra naturam, & infinita damna quæ proximo in bonis fortunæ inferunt.

382. Placet hic referre ex Berlichio (qui ex aliis à se citatis descriptis) solennitatem, quam observat Dæmon in Magis & Sagis suo albo inscribendis, ex propria eorundem confessione: unde constabit, quam exofus sit cultus Sanctæ Crucis & imaginum Sanctorum Diabolo, quod illis notandum est, qui in hoc Dæmonem imitantur.

Itaque in publica congregatione, Dæmone in solio Majestatis in forma Regis sedente, debet Magus primò Deo creatori suo renuntiare, sedes Baptismi rescindere, filium Dei abnegare, omnia Christianæ fidei documenta relinquere, sacramenta cuncta Ecclesiastica proijcere, pedibusque propriis conculcare, Crucem NB. & Imagines B. Mariæ Virginis, & aliorum Sanctorum, & omnia Dei, & ejus filii beneficia derelicti, nomen Dei blasphemis & convitiis horrendis afficere: deinde facit is Obligationem per solennem stipulationem chirographo sanguine proprio scriptam, vel si is scribere nescit, in manibus ipsius Principis, id est, Diaboli, qua vovet & p̄mittit, quod perpetuò futurus sit illi fidelis, obediens: postea mediante jurejurando, tacitis scripturis super quodam magno libro, obscuras paginas continente

nente præstat homagium, sive perpetuum vasallagium, quod nunquam redire ad fidem Christi, nec divina præcepta servare, sed solum ea quæ per ipsum principem erunt decernenda, custodire, perpetuis futuris temporibus illi obedire, & continuo cum vocatus fuerit ad ludos, & congregationes nocturnas, venire, & ea quæ in eis per alios veneficos sunt facere, & sacrificiis illorum nocturnis adesse, solitasque preces, & cultum præstare, Principem adorare, & vota quæcunque præstare contigerit, pro viribus adimplere, quoscunque poterit alios ad eandem professionem adducere, & postremò fato suo funditus corpus & animam Diabolo destinare velit.

Contra Princeps, Diabolus, illum blandis verbis excipit, familiariter colloquitur, & egregiâ & hilari fronte promittit ei præstare perpetuam felicitatem, gaudia immensa, & voluptates, quascunque in hoc mundo habere desiderata verit, & demum post hanc vitam longè majora munera. Quo facto statim aliquem dæmonem constituit ad illius custodiam, eum in finem, ut illum nunquam deserat, sed illi in omnibus inferviat, & quotiescunque contigerit ludos exercere, hoc ipsi intinet, & ad locum destinatum deserat &c.

383. In privata vel tacita conventionione alia forma adhibetur. Nam primò oportet discipulum futurum, die Dominico, antequam aqua benedicta consecratur, (hoc scribit Berlichius, cui aqua benedicta debet esse superflua.) cum Magistello, seu dæmone illo, vel venefico, cum quo tale pactum init, templum ingredi, & ibidem abnegare ut modò dictum, deinde homagium præstare Magistello, seu alii venefico, denique bibit de utre. Quo facto statim intrinsecus sentit se imagines artis diabolicæ concipere, & principalibus ritibus hujus sectæ imbui, & confirmarique. quam stipulationem & fœdus Magisterulus vel alius veneficus ad principem deferat, qui illi ratum habet.

Fœdere sic inito, solet diabolus suis mancipiis minutum pulverem triplicis coloris dare: ille qui necat atrii coloris, qui morbum causat, cineritici, qui verò morbos depellit, albi coloris est. Non possunt tamen nisi illos morbos sanare, qui ex maleficio provenerunt. Illud denique (ut supra omittam) Berlichius ex confessione cujusdam Strigis Anno 1524. facta refert, quod quando ex conventiculis à dæmone domum revehantur, id fieri debeat, antequam campana pro Ave Maria de mare pulsetur: si verò forte campana pulsetur tempore, quo deferuntur ad domum, necesse habet veneficam Magister in eo loco ubi audit sonum prædictum, deponere virum aut mulierem, nec potest am-

plius ipsum, vel ipsam tangere. Ex qua relatione constat, ante Lutheranam hæresin non solum in usu fuisse, sed & contra viam dæmonum valuisse pulsam Anglicæ Salutationis, quem moderni Sectarii vident, & ideo apud eos magi & sage gaudent privilegio diutius emanendi; quia non pulsant ad Anglicam salutationem.

384. Quæritur I. Ad quam Jurisdictionem, Ecclesiasticam, an Sæcularem spectet hoc Delictum. *se.* Esse mixti fori, hoc sensu. Ecclesiastici fori est, quatenus Apostasiam, Idolatriam, Incantationes, Sortilegia, Hæresin &c. conjuncta habet. Civilis fori est, quatenus homicidia, cædes animalium, vastationes segetum, & vinearum, cæteraque damna quæ bonis fortunæ inferuntur, maleficium coherent. Ceterùm, si Ferdinandus V. Vaizenegger credimus c. 2. n. 15. in Imperio Romano moribus & legitimâ consuetudine Principes sæculares in suis territoris, & in personas suæ Jurisdictioni subiectas, animadvertendi potestatem in Maleficis ita videntur obtinuisse, ut Judicibus Ecclesiasticis amplius Jus non sit Jurisdictionem sæcularem prævenire pro quò adducit Reversum Imperii de anno 1512. tit. de Blasphemis, quem inspexi, & parùm ad rem facere visus est. Quidquid sit de hoc,

Illud certum esse videtur, quod, si pœna ab Ecclesiastico Judice imposta monitoria tantum fuit, vel medicinalis, ad animæ salutem comparata, non propterea cesset Judicis sæcularis Imperium, (ut in simili præced. tract. dicitur est) sed hic insuper secundum leges civiles in maleficum animadvertere possit, & colligitur ex cap. 5. de pœnis in 6. ibi. [Per hoc quoque sæcularibus potestatibus non adimimus facultatem utendi legibus contra tales, quas adversus sacrilegos Catholici Principes ediderunt.] Quin hoc ipsum obtinet, etiam si reus fuerit affectus pœnâ Ordinariâ, & principaliter Jure Canonico definita, si crimen tale sit, quod sanguinis pœnam de Jure civili ingerit, adhuc enim hæc afflicti potest, quia pœna Ecclesiastica tunc non est omnimodè contenturata delicto, ut tenent communiter DD. Fatinacius de Inquis. q. 4. n. 10. Gomez. var. resol. 10. 3. c. 3. n. 40. concl. 4.

Quia tamen causâ hæc obscurissima & intricatissima est, ac Judici admodum periculosa, consulti Valentia & Tannerus (& idem responderunt Ingolstadtenses anno 1590.) ut Judicibus sæcularibus eruditius Theologus adjungatur, eum quo acta communicentur, confilia ineanentur, & cui permittratur accessus ad reos.

385. Ordinarius Index est illius loci, ubi Malefici deprehenduntur, quia præsumuntur ibi deliquisse, & sic forum nacti esse; nam hoc crimen videtur habere causam continuam.

386. **Quæritur II.** Quanam indicia sufficiant, ad hoc, ut per viam Inquisitionis (qui modus contra Maleficos procedendi hodie in usu est, cum nemo facile reperitur, qui velit in se accusationis pericula recipere) procedi possit, & sine quibus præcedentibus processus esset nullus: nam neglectis indicibus processus posset nullitatis exceptione infirmari, ut tradunt DD. in leg. 8. §. 1. C. de quæstionib. qui sic habet. [Oportet autem Judices nec in his criminibus, quæ publicorum Iudiciorum sunt, ad investigationem veritatis à tormentis initium lumere, sed argumentis primùm verisimilibus probabilibusque; uti. Et si his velur certis indicibus ducti, investigandæ veritatis gratiâ ad tormenta putaverint esse veniendum, tunc id demum facere debebunt, si personarum conditio patiatur.]

387. Imprimis autem, an ad faciendam Inquisitionem specialem in certam personam super Magia, præcedere debeat diffamatio, est quæstio generalis, in seq. tract. examinanda ad omnem Inquisitionem, de qua videri interim potest Julius Clarus lib. 5. §. fin. q. 6. hoc ergo iudicio pro nunc prætermisso.

Dubitatur I. An & qualiter sufficiens indicium esse possit, testimonium vel confessio socii criminis, seu complices magi vel sagæ. quæ Quæstio præcipuam continet præsentis materiae difficultatem, & in usu forensi apud prudentissimos adeo dubia est, ut vix ullus sine offensa sum explicare possit sententiam, inquit vir præclarissimus Ferdinandus V. Vaizenegger, quo nemo (quos videre potui) accuratius hanc quæstionem pertractavit, quemque si vidissent alii (nam ejus dissertatio paucis nota est) non adeo obiter hanc quæstionem expedivissent. Illius ergo doctrinam non piget (aliquibus subinde insertis) aliis plenius communicare, ne penitus oblivioni tradatur, quæ hic Ingolstadtii triginta & pluribus ab hinc annis publicè propugnata fuit, & impressa.

388. Qui denuntiationibus, quæ aliis adminiculis destituta sunt, fidem exiguam dandam esse censent, his ferè argumentis nituntur. Primò, Venefici, seclusâ penitentia, quam paucis contingere etiam ad veritatem affirmant, retinent affectum criminis, hoc est, animum obsequendi diabolo, nocendi que innocentibus: ergo cum impunè & innoxie deferte possint tam innocentes quàm nocentes, denuntiationes ab illis factæ tanti non sunt, ut valeant ad capiendos, & gravissimis torturis subjiciendos denuntiatos. Adamus Tanner tract. de processu adversus venef. q. 2. n. 59. & facit, quod semel malus semper præsumitur malus. de R. J. in 6.

389. Secundo, si solæ denuntiationes ad capiendos & torquendos maleficos sufficerent,

id fieret, vel quia in tormentis denuntiant, vel quia denuntiationes in tormentis factas postea penitentes & sacramentaliter confessæ, ratas habent. Sed sola tortura his auctoribus ad tollendam falsitatis præsumptionem potens non est. Nam quia, ut ante dictum, malefici non minus evadere possunt, si innocentes defertant, tormenta non valent ad inclinandum eorum animum, ut nocentes solum denuntiant, sed ad id potius, ut etiam innocentes indentent, à magistro suo diabolo vel maxime instigantur. Tanner n. 59.

Magnum etiam momentum ratihabitio penitentis, & confessi non habet, quia periculum falsitatis non solum oritur ex malicia denuntiantium, sed etiam ex illusionibus diabolicis, ad quas detegendas penitentia medium non est. Sed & ratihabitio sequi potest ex metu rependendæ quæstionis, neque Judici satis in hoc scelere, quod tam difficulter sanatur, constare potest de penitentia. Tanner n. 52.

390. Tertio, Malefici frequenter in Somniis delinuntur, & dum putant se conventibus ac choreis interesse, domi suæ stertunt profundo somno oppressi. Sed neque satis ac semper possunt ob simplicitatem, vel ob phantasiae firmitatem, vel demonis vastitatem, inter veras translationes & ejusmodi illusiones distinguere. Ergo si denuntiationes fidem non merentur, quando certò constat, maleficos eo tempore, quo ad choreis unâ secum interfuisse dicunt, de loco ad locum translatos non fuisse, ita simpliciter parum eis credi potest, cum dubium ferè semper sit ac incertum, utrum quæ fatentur in vera translatione gesta, an verò in falsa imaginatione objecta fuerint. Tanner n. 43. Verum est, Maleficos de vera translatione aliquando certos esse, & judici de ea constare posse, ut Binsfeldius de confessi. malef. memb. 1. conclus. 2. Deltius lib. 5. sect. 16. Remigius lib. 2. c. 16. bene notant, puta, si in loco conventus vulnerentur, extra ades suas in locis remotis nudi, vel in cellis vinariis vasi insidentibus a demone relicti & deprehensi Magistratui stantur.

391. Quartò, verisimile non est, eum qui decem vel plures annos demonis mancipium fuit, ac singulis annis centies vel lapsius se translatum esse credit, tribus tantum vel quatuor vicibus, quibus alium municipem ante decem, octo, sex, quatuor annos interfuisse fatetur, delusum non fuisse, adeoque non phantasticas tantum imaginationes, sed ea, quæ sensu percepit, deferre.

392. Quintò, veteribus & recentioribus exemplorum testimoniis probatur, in sagatiis conventibus præsentari absentes: Nam Diabolus, qui se in Angelum lucis naturali virtute, absque speciali & miraculoso Dei concursu transformare

formare potest, atque etiam in personam Christi crucifixi, B. Virginis & aliorum Innocentum transformavit, sine dubio eadem virtute alios in conventibus maleficos poterit præsentare, atque etiam, ut Historia B. Germani habet, præsentavit. Ergo denuntiationes etiam ex hoc capite dubiæ sunt & suspectæ. Tanner q. 2. n. 45. Sed absentes, nocentes tamen, præsentari nemo facile negat: de Innocentibus teta difficultas. Ajunt Deum nunquam permittere, neque permissurum, ut innocentes præsententur, & cum nocentibus pereant. Vel si præsentari denuntientur, mox eorum innocentiam, Deo sic disponente, manifestam fieri, atque delusionem detegi. Binsfeldius memb. 2. dub. 6. in solut. arg. Delt. §. 16. §. 7. Cæterum alii contra opponunt; Deum plurima, atque immansissima scelera justissimis de causis, & singulis momentis permittere, nec in hoc processu sagario singularem usquam fecisse sponsionem, se non permissurum, ut innocentes in cætib. Diabolicis præsentati patiantur injuriam. Tanner n. 16.

393. Sextò, Sortilegis, qui cætib. inter sunt, non semper est integer ac certus sensuum usus, sed omnia confusa atque incerta appaerent, uti quibus ex caligine, metu, somno, aliisque vitis caligant oculi, aut magica arte perstringuntur. Ergo de his quæ in obscura caligine, ac incepto sensu percipiunt, firmum testimonium dicere nequeunt, nisi rationem reddant, quod v. g. luna illuxerit, faces, candelæ, vel alia lumina lucem præbuerint. Mascardus concl. 113, n. 12. Remig. lib. 1. c. 16.

394. Septimò, Malefici sæpius in necem innocentium conspirant, ut experientia testatur. Et verò facile conspirare possunt, cum conspirationes istæ sint occultæ, & mendaciæ in foro externo ferè innoxia: Atque etiam volunt conspirando nocere, quia Diaboli mancipia sunt & instrumenta: Ergo innocentes extra periculum non sunt, si solis denuntiationibus fides detur. Tanner q. 2. n. 38.

Octavò, Eorum, quibus confessiones maleficorum cognita sunt, loquacitate, denuntiationes etiam unus malefici incertæ ac vitiosæ in vulgus sparguntur, eaque ratione personæ denuntiatæ publicam incurunt infamiam. Facile igitur & alii malefici personas ita infames denuntiant tanquam nocentes, ut ipsi sese à torturis acerbissimis quamprimùm liberent, & expeditant. Tanner n. 40. Quod si divina providentia permitteret innocentes illegitimis processibus ab imprudentibus & imperitis Iudicibus opprimi, & quod sæpius contigisse experientia docet, ex sola maleficorum voluntate, & imprecatione Diaboli ministerio perire, atque tempore mortis in peccato mortali deprehensos æternis cruciatibus

addici, nulla ratio est, cui Deus innocentes denuntiant non permittat. Tanner q. 4. n. 86.

Nono, Malefici homicidia hominum scriptum, hominum Lanionibus occisorum, ac damna varia naturaliter illata sibi impostuerunt, ut toruras citius evaderent, atque etiamnum imponunt, quia malunt sæpe morrem, quàm tormenta subire: ergo facile adigi possunt ad denuntiandos innocentes, præsertim si per suggestionem de certa persona interrogentur. Tanner q. 2. n. 34. 41. & 47.

395. Decimò, Malefici rarò inter se conveniunt in loco, tempore, atque aliis circumstantiis, sed ferè semper in denuntiationibus reperiuntur singulares. Ubi autem singularitas est, ibi unitas est, vel varietas, non numerus, non contestatio: ergo quia mille testes singulares regulariter plùs non probant, quàm unus, malefici singulariter denuntiantibus, exigua, & quidem minor, quàm reis aliorum criminum fides adhibenda est, cum illi sæpius à demone decipiantur, atque universali quodam odio humanum genus, & præsertim innocentes prosequantur. Assertur quidem in contrarium communis aliorum doctrina, quæ tradit, per testes singulares, eorumque depositiones ad eundem finem tendentes, delictum in genere probari, atque de actibus iterabilibus, & iteratis jura, quæ testes singulares reprobant, negat intelligi posse, sed tantum de singularitate, ut vocant, obstativa, quam sententiam tunc maxime laudant, si non de reo condemnando, sed de torquendo quæstio sit, de quo Jul. Clarus §. fin. q. 32, n. 18. & 19. Farnacius de testib. q. 64, n. 87. & 201. usque ad 210. Mascardus concl. 856. n. 17. Delt. lib. 3. appen. 2. q. 10.

396. Cæterum, hujus opinionis (cujus argumenta referimus) assertores duram, imò ridiculam esse censent distinctionem, inter probationem generis & probationem speciei, prout in probanda hæresis à pluribus traditum est, per ea quæ tradit Farin. q. 64. cit. n. 107. & licet testes singulares ad quæstionem decernendam sufficere videantur, id tamen secundum Mascardum de legitimis tantum, & idoneis affirmandum est, quales malefici, socios criminis deferentes, non sunt. De hac re infra disseretur. Et hæc sunt fundamenta Opinionis, respuentis denuntiationem complicum tanquam sufficientem ad inquisitionem specialem.

397. Argumenta contrariæ opinionis, volentis, sociorum denuntiationibus fidem adhibendam esse, sunt numero duodecim, imò tredecim.

Primum. Juxta ex officio repetitur veneficum de se confessum, etiam de sociis interrogate. Nam quia maleficium crimen est exceptum,

& occultum, quod sine confortibus committi non solet, provinciam malis hominibus purgandi, atque Reipublicam liberandi, ratio nulla melior esse videtur, quam hęc in participes criminis per interrogaciones inquisitio. *Binsfeld. de conf. malef. memb. 2. p. ubi allegat Socin. Caser. Nav. & alios.*

398. Secundum. Etiam Confessarii tenentur malefici reos admonere, ut socios indicant, nec sine noxa possunt eos qui tenuerunt absolvere. *Binsf. ibid.*

Tertium. Malefici etiam non interrogati lege natura sunt obstricti, damna spiritalia & temporalia, quę per confortes Reipublicę & salutem proximorum inferenda sunt, modis omnibus præcavere, & salutem ipsorum complicum, quam extra iudicium vix sperare possunt, procurare, vitam innocentum defendere. Ergo eadem lege natura sunt obligati ad socios detegendos. Esti vero per hoc infamiam socios incurant, non tamen iniusta causa infamiz datur, ac bonum publicum privatę famę merito præfertur. *Binsfeld. Tahn. Laym.*

399. Quartum. Hęc obligatio natura tanta est, ut etiam parentes liberos, liberi parentes teneantur detegere, & quasi ultimo supplicio offerre. Major enim patriz, major salutis patrię habenda est ratio, quam famę aut vitę corporalis; imò horum denunciationibus ideo major fides adhibenda videtur, quod minor in personis conjunctis odii suspicio locum habeat. *Binsfeld. ibid.* Monent quidem aliqui, considerandum esse, an probabilis aliqua spes sit, compitem, si correctione fraternā moneretur, ad sanam mentem rediurum, quo casu, denunciatione prætermittā, correctionem ac fraternam admonitionem adhibendam, eaque contemptrā tunc primum denuntiandum esse. Alii tamen iam ideo confessum denuntiandas existimant, quod pertinaces sint, & vix ex ignorantia peccent, imò mora quęvis Reipublicę damnosa sit, cum non tantum de commissis, sed magis committendis delictis ac damnis Reipublicę impendendis quaestio vertatur. *Dehrus lib. 5. sect. 4. ubi plures.* Ex his omnibus consequens esse videtur, maleficos de se confessos fidem mereri, ne, si aliter sentiamus, frustranea sit illa juris naturalis obligatio, quę & Magistratum ad extorquendas denunciations, & reos ipsos ad indicandum nocentes sub reatu peccati mortalis obligat. *Binsfeld. ibid.*

400. Quintum. Fides adhibetur Latronibus, Sociis conjurationum, Reis lese Majestatis, Proditoribus patrię, hæreticis & sacrilegis contra eundem criminis reos: ergo non est ratio, cur non eadem, & majori ratione idem jus in sociis criminis sagarij sequamur.

Sextum. Ex aperta juris sanctione, qui maleficum, communem salutis hostem, & naturę peregrinum suppressit, gemina suspicio obnoxius est. Prima est, quod publicum tenuerit, ne facinoris socios publicaret, severitati legem, & debitę subtraxerit quaestioni. Altera, quod proprium foras in inimicum sub hujusmodi vindicta nomine inter fecerit consilio atrociori. Ergo malefico Jutis auctoritate speciali socios publicari credendum est. *lege. fin. C. de Malef. & Mathem.*

Septimum. In ceteris actibus humanę certitudo demonstrativa non requiritur, sed ea sufficit, quę moraliter haberi potest; nec enim ideo, quod testes aliquando fallantur, & sefellierint, ut exemplo Christi, Susannę & aliorum constat, probatio per testes abroganda venit: igitur nec in crimine sagarij denunciationibus fides ideo derogari debet, quod in iis quandoque contingat error, sed omnino satis est, à maleficis de se confessis socios ut plurimum ex conscientia & veritate denuntari, idque experientiam passim probare. *Binsfeld. ibidem.*

401. Octavum. Hinc usque forensis, tam in foro Ecclesię, quam in foro civilis denunciationibus hæcenus fidem adhibuit, eandemque Inquisitionis formam, quę contra hæreticos præscripta est, etiam contra maleficos observavit. Ergo ab eo usu sine manifesta ratione recedendum non est. *Ita post alios idem Binsfeld.*

Nonum. Tanto magis usui recepto inhærendum videtur, quod eā ratione plurimi facinorosi publicati, atque ad penitentiam reduci fuerint, qui maximo Reipublicę ac civium damno, suęque animę presentis periculo latuissent. *Dehr. sect. 3.*

Decimum. Quoties ex natura rei, & actus, testes habiles, & omni exceptione majores haberi non possunt, in subsidium admittendi sunt inhabiles. Atqui criminis sagarij natura hæc est, ut rarissime possit aliter, quam per reos ejusdem criminis probari: vix enim unquam maleficorum conventibus probi interfunt: ergo à ratione alienum est, maleficorum testimonio non recipere, ubi innocentum vix ulla repetiri possunt. *Binsfeld. concl. 6. v. 5.*

402. Undecimum. In eandem fidem & occultis admittuntur probationes per conjecturas: sed & propter immanitatem criminis jura transgredi licet: atqui crimen sagarium, omnibus conscientibus occultissimū est, & enormissimū, non igitur Judices, qui futurum aliąque minora crimina lyncis oculis perstruant, palpatum cavere in hoc atrocissimo crimine laborare debent, sed executione justitię Deum Opt. Max. qui

gravissimè per maleficos offenditur, modis quibus fieri potest omnibus, reconciliare. *Idem.*

Duodecimum. Credendum est, neminē à maleficis præsentari aut denuntari posse, nisi divini permittente providentię, atqui divina providentię protegit innocentes qui sperant in eum, & nomen ejus cognoscunt, nec ullus bene sanus inficiabit, dæmonem majus habere imperium in facinorosos, quàm in Dei amicos: ergo facilius à Deo permittitur ut presententur, & denuntientur nocentes quàm innocentes, hoc enim bonitati convenit, ut eos, qui in adiutorio ipsius habitant, protectione suā defendat, convenit etiam justitię, ut qui maleficos vivere non vult, modos ac vias aperiat, quibus nocentes manifesti fiant. *Binsfeld. memb. 2.*

Decimum tertium, & ultimum argumentum sit, quod nisi tales denunciations admittantur, obstruatur via coercentię hujus criminis Magistratos, & principes: nam etsi viliora dæmonis mancipia non nunquam inditris in oculum incurrentibus ac manifestis seipsa prodāt, non tam ordinis superioris malefici aut scopos erigunt ad repellentes concitandus, aut ollas, aliąque vestibus ædium aut stabulorum supponunt, aut minas plebeis intendunt, sed quę volunt mala inferre, eorum executionem inferioribus demandant. Et hæc sunt in utramque partem argumenta non contemnenda: quibus ponderatis statuit laudatus VVaizenegger sequentes assertiones.

403. Assertio I. Malefici de se confessi, etiam de sociis rogandi sunt, rogati, jure natura obligantur ad indicandos nocentes, de quorum emendatione, & penitentia nulla spes est, ob rationes supra allatas, & colligitur ex art. 31. & 52. Ord. Crim. Carol. Et per regulam generalem, quod in criminibus atrocioribus, & exceptis, sociis criminis de socio interrogari possit, cujusmodi sunt: læsæ Majestatis, falsę monete, Latrocinij, ut ex Juribus probat Casparus Manzius in art. 4. n. 4. quibus addit Berlichius crimen veneficij, & Zangerus crimen conspirationis, conjurationis, rebellionis, & subversionis status, Sacrilegij, Assassini, Maleficij, Sodomiz, nefandę libidinis, crimen famosorum libellorum, quibus Fatinaeus q. 47. à n. 56. post varias limitationes addit adulteriū, & crimen suppositi patris: apud quem plura videri possunt circa fures, & illa delicta quę sunt difficilioris probationis. Jure Bavarico in omnibus illis delictis, ubi verisimiliter complices socij, & auxiliares fuerunt, reus, etiam post confessionem, de sociis interrogari potest. *ut. 5. Ord. Process. Crim. a. 12.* & hæc est sententię universalis consuetudo Germanię. Ceterum, in art. 31. Ord. Carolina sequenti præscribitur. Primum, ut reus in genere, non etiam in specie seu individuo interrogetur, quisnam ei socius criminis fuerit. Secundum, ut interro-

getur de omnibus circumstantiis, quomodo, quo loco, & quo tempore socius, quę nomina vitę ei præstit fuerit, & opę tulcrit. Ex hæc enim interrogatiōe Judici constare potest, an verisimilia dicat interrogatus, & an ei fides habenda sit, an non. Tertium, ut Judex inquirat, an inter Reum nominantem socium, & socium nominatum sint inimicitie, contentiones, jurgia, & lites, aut quę alia offensionis causa inter eos intervenerit, inimicis enim non facile fides habenda. *l. 1. §. 24. ff. de Questione.* Quartum, ut nominatus Judici alias suspectus sit, nam si de bona fama nominati constet, judicium ortum ex nominatione socij criminis facile diluitur. Quintum, ut reus perseveret in nominatione.

Ultimis eadem Ordinatio Carolina art. 52. inter cetera jubet, Magum confessionem etiam de hoc interrogati, à quo didicerit, quo Magistro usus fuerit, quā ratione ad id flagitij, & ad confortium magorum illectus fuerit. Rationem reddit Casparus Manzius, ut deinde in vitam illorum perverforum ratiōe inquiri, vel si jam antè delati, capti, & justificati fuissent, tanto magis reo verisimilia deponenti credi, & quia magistratus ex confessionibus aliorum probe norunt, quibus illecebris homines ad hoc scelus perducantur, ex illa occasione tutius & securius præferim si ad opus extrinsecum reus processisset, & nullum materiale viteligium apparet, procedi possit.

404. Assertio II. Illa denunciations sunt majore fide dignę, quę sunt à sacramentaliter confessis, & per confessarios jam dispositis ad seriā penitentiam, atque etiam admonitis, ut in denuntiando salutis suę habeant rationem. Itaque si Judiciorum usus ita ferret, non inconsulto, Rei demum post sententiam per confessarios eò possent induci, ut sponte denuntiant o-mnes socios, quos putant à maleficio non cessuros, sed ad vñitum redituros. *Lessius de J. & L. c. 29. n. 162. Tann. n. 57. Binsfeld. concl. 7. memb. 2.* Ceterum (inquit VVaizenegger) hoc consilium inferiores Judices sive mer arbitrio sequi non possunt. Nam quia de se confessus infamis efficitur, ejus testimonio spontaneo credendum non est, sed hoc tormentis, vel saltem metu tormentorum confirmari debet. Superioris igitur auctoritatis, qui hæc de statuendi jus habet, necesse fariā esset, ac tanto facilius accommodari deberet, quanto salubrius hoc remediū esse censetur ad salutem animarum rei, & eorum qui denuntiantur. Quod etiam ex eo suadet, quia Judex tenentur monere reum scitō, ut in denunciandis sociis proprię salutis memores sint, conscientiam novo crimine falsi non offendant, quę admonitio supponit in reo aliquam scintillam religionis, & conversionis ad Deum, quę tamen in maleficis ante sententiam vix unquam sperari potest, nisi

tales sint, qui se fortè sponte, & salutis amore iudicio præsentantur, prout aliquos fecisse sæpius narratum est.

405. Assertio III. Denuntiationes simplices, quod hæc vel illa persona interfuerit conventibus diabolicis, eo non expresso, quod præfens fuerit ut venefica, & mancipium diaboli, non multum fidei merentur. Ratio est, Quidam enim curiositatis gratiâ solent choreis interesse, quidam inviti ad eas deferuntur, alij adhuc deliberantes, & quasi novitii spectatores adfunt.

406. Assertio IV. Etiam si denuntiationes continent personas nominatas ad conventus accessisse ut maleficas, nisi tamen de singularibus actibus inter choreas & convivia exerceri solitis, singularia exprimentur, puta, quod hominiam præstiterint demoni, quod in hominiam ac animalium necem perniciose inierint consilia, atque infidias ipsæ struxerint apertas, quod infantes exhumaverint, plurimis de causis earum denuntiationum fides vacillare potest. & teste Farinatio de hæresi. q. 181. n. 152. in fine, in tribunali Sacræ Inquisitionis huiusmodi nudæ denuntiationes de sola præsentia, non reputantur sufficientes ad torturam, quia indicia ad torturam non debent esse dubia, sed certa, atqui sagæ patiuntur illusiones, dum sæpè corporaliter non interfunt, sed per solam phantasiâ. Assertio est contra Binsfeldium, Valentiam, & Delrium apud eundem Farin. & V Vaizenegger.

407. Assertio V. Quin imò si vel maxime maleficus asserat, Bertam in conventibus demonem adorasse, nefandissima quæque commisisse, clades hominum unâ cum reliquo malorum consilio decevise, non tamen ejusmodi denuntiatione morale certitudinem asseret, ob rationes suprâ allatas ex præstigiis delusionibus, & præsentationibus innocentum. Sitamen plures denuntiationes in eundem actum eodem tempore exercitum convenirent, nec ullis aliis defectibus laborarent, vel nisi exceptionibus innocentibus eliderentur, quæstioni seu torturæ via aperiretur.

408. Assertio VI. Denuntiationum fides neque tum integra est, si malefici pluribus alijs criminibus, quæ maleficium ordinariè comitari non solent, obnoxij reperiantur, v.g. si latrones, raptores, fures, aleones sint. Est contra Delrium oppend. 2. q. 17. sed eodem teste ferè communis opinio, ita etiam respondentibus Patavinis ac Friburgensibus JC. Ratio est, quia etiam in exceptis criminibus tortura non plures quam unum defectum supplet: & ex eo quod ipsum maleficium denuntiationibus non penitus obstat, quin aliqualem fidem inveniant sufficientem ad torturam, non rectè infertur, multò minùs alia mi-

nora crimina ipsedem impedimentum asserere posse.

409. Assertio VII. Variatio quoque vitiat maleficorum inculpationem. Ratio est, quia nisi reus in sua denuntiatione constanter perseveret, perjuro non ab similibus est, imò perjurus est, si iurejurando antè præstito variet. Quod si Reus denuntiatos ante sententiam exculpare velit eo prætextu, quasi vi tormentorum victus innocentes denuntiarit, absque novis indicijs de novo torqueri potest, ex comun? DD. nam ex ipsa variatione, & revocatione resultat quasi novum indicium, & plurimi nocentes latere possent, si reis antè confessis, deinde cum revocant, fides adhibenda esset. Ità habet Carolina Ord. art. 57. & Jus Bavar. tit. 3. a. 13. & ratio ulterior est, quia licet regulariter tortura non sit repetenda, in hoc tamen revocationis puncto est omnino necessarium, ut repeti possit, ut ex Hippolyto bene notat Casp. Manzius; si enim revocanti esset fides habenda, quilibet confessionem factam revocaret, sciens se non amplius esse torquendum, & sic utilitas torturæ tolleretur. Est tamen Conclusio intelligenda de revocatione ex intervallo, & post confessionem apertè & candidè factam, non de revocatione immediatè subsequuta torturam, & non præcedente satis apertè confessione, quia tunc perinde censetur, ac si ipsa tortura revocasset, vel potius obscurum dictum emendasset, & declarasset. Sed de hoc plura in sequenti tractatu, quando agetur de Tortura.

410. Dubitatur tamen, quid sit tribuendum revocationi factæ post sententiam mortis sibi dictam, & tempore sacramentalis confessionis vel Eucharistiæ sumendæ? Aliqui simpliciter affirmant huiusmodi revocationi standum esse, præsertim si geminata sit, & pluribus diversis locis facta, eo quod in articulo mortis nemo salutis suæ immemor esse præsumatur. Ità cum alijs Farinacius de indicij. q. 46. n. 20. & ita responderunt etiam JC. Patavini. Alii distinguunt inter denuntiationem præcedentem nudam ad solam, & inter denuntiationem alijs adminiculis suffultam. Illam putant tali revocatione penitus elidi, hanc non item, quasi adminicula moraliter cum denuntiatione concurrente sic in illam influant, ut eam reddant longè validiorem, & efficaciori ad persuadendum, quam si per se sola staret. Ità Marfilus, Malfardus & alii. Quidam opinantur, in rigore revocationes huiusmodi extrajudiciales nihil detrahere denuntiationi legitimæ: tum quia præsumptio veritatis magis adjuvat denuntiationem in tortura factam, quam revocationem animo jam ob timorem mortis perturbato subsequutam: tum quod hac ratione plurimi nocentes supplicium evadent, ac Judiciorum eluderent auctoritas. Præterea si in favorem fidei standum est illi testimonio,

nio, quod hæresin revelat, sive prius sit, sive posterius, Binsfeldio ita tradente, potior quoque debet esse denuntiatione, quæ maleficium hæresi familiare detegit, quam revocatio præsertim extrajudicialis. Ità post alios responderunt Theologi & JC. Ingolstadtenses Anno 1590.

V Vaizenegger arbitratur, Judicij arbitrium hac in re plurimum posse. Etenim si appareret, reum non levitate animi, non prece, aut pretio, sed iusta de causa, ad conscientiam exonerandam, denuntiationem corrixisse, revocationi etiam post sententiam standum esset, prout etiam ex Covarr. Curcio & Simancha tradit Delrium, lib. 5. sect. 5. in fine. arg. cap. accusatus. §. licet. de hæret. in 6.

411. Assertio VIII. Multò magis pluribus denuntiationibus fidem admittit contrarietas, dum unus Titium ejusdem criminis reum esse, eodem loco, & tempore idem secum maleficium commississe affirmat: alter qui se prioris socium fatetur, negat Titium consortem esse, vel choreis, consilio fagario, præparationi rerum venenatarum eo loco, & die, quos prior expressit, interfuisse. Judex enim concurrentibus variis plurium denuntiationibus moveri non potest ad assendum iis, qui Titium reum esse dicunt, sed potius pro innocentia, cæteris patibus, captanda est præsumptio. Malfardus concl. 1368. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 23. Farinac. de Testibus q. 65. n. 2. Quod si Malefici circa quosdam suæ confessionis articulos in falso deprehendantur, denuntiationes ab iisdem factæ similiter de falso suspexæ sunt, quia semel malus in eodem genere delicti semper præsumitur malus.

412. Assertio IX. Inimicitia Denuntiationes graviter infirmat, non solum capitalis, sed & odium, malevolentia, & aversio animi sufficit. Nec refert, ex magna vel levi causa inimicitia vel malevolentia originem traxerit. Illud tamen odium universale, quo malefici contra genus humanum tenentur, denuntiationibus non obest, si alias exceptiones non patiantur. & hoc propter suam nimiam universalitatem, quæ si obest, jam hoc ipso omnes denuntiationes maleficorum penitus enervarentur, & exceptionem admitterent.

413. Assertio X. Bona fama contra denuntiationes non parum patrocinatur, si constans, & plene probata sit, ac denuntiatum communi testium existimatione habeatur pro viro probato, & ab hoc crimine alieno. Imprimis autem bona fama denuntiationibus præferenda est, si alijs innocentia indicijs adjuvetur. Ur enim duplex vinculum in multis Juris partibus fortius stringit, ita & exceptio bonæ famæ conjuncta cum alijs indicijs, ad exculpandum plus

valere debet, quam inculpatio personarum infamiarum, ac pluribus defectibus laborantium. Quod si bona fama sola per se latet, & denuntiationes alijs adminiculis confirmarentur, ex arbitrio Judicis pendet judicare, quid famæ, quid denuntiationibus & adminiculis eam stipantibus defendendum sit. Menoch. de arb. jud. c. 474. Malfard. concl. 1314. n. 41. Farin. q. 38. n. 110. q. 43. n. 187. & seq. alii.

414. Assertio XI. Bonæ famæ minùs detrahere possunt denuntiationes mulierum, non tantum vilium & pauperum, sed etiam aliarum. Nam etsi femine Jura civili in criminalibus à testimonio dicendo non repellantur, tamen infirmitas sexûs facit, ut iis minor fides habeatur quam viris; earumque fidem minuit in hac specie ipsa infamia.

Ideo denuntiationibus mulierum, ubi alia indicia deficiunt, tum demum fidem haberi volunt, DD. si minimùm tres aut quatuor in eandem personam concurrant. Sed neque sex ad torturam inferendam sufficient, si aliorum, vel virorum vel femininarum testimonij denuntiata persona exculpetur. Hodie usus rerum omnium peritissimus Magister docuit, denuntiationes trium, quatuor, quinque, sex reorum sine alijs adminiculis parum fimitatis habere: propterea quod plurimæ maleficorum conspirationes, & forsitan etiam innocentium in choreis ac conventibus præsentationes in dies magis quam olim detegantur, atque malefici de se confessi ferè eos deferre soleant, quos ex fama pessima à non idoneis orta suspectos esse peteunt. Ità notabiliter testatur V Vaizenegger post Binsfeld. de confess. malef. memb. 2. concl. 6. dub. 2. in fine. Delr. lib. 5. sect. 3. & app. 2. q. 15.

415. Assertio XII. Majores annis viginti, minores autem viginti quinque, eandem fidem merentur in proposito quam majorenes, quoniam hi regulariter in criminalibus pro testibus idoneis habentur. De puberibus minoribus annis viginti, in hoc atrocissimo & excepto crimine idem asserendum videtur. Impuberum proximorum pubertati denuntiationes in criminibus exceptis non omnino rejiciendæ sunt, sed aliquid momenti habent, si veritas aliter haberi non possit. Impubes modicè torqueri potest, colligitur ex iis quæ de teste pubertati proximo in criminibus atrocissimis admittendo à DD. traduntur, & suo loco dicitur. Infantibus vel infantia proximis, naturalis defectus obstat, quominus eorum denuntiationes attendi possint. Fieri tamen potest, ut divina providentiâ ita disponente, malefici puerorum innocentum, quos in sua castra trahere conati sunt, simplicitate proditi, debitis supplicij offerantur. Cæterè Julius Clarus §. fm. q. 24. n. 18. testatur, quod plura delicta